732 c.9
3

POEMA

NUMISMATE ANNUO DIGNATUM,

ET

IN CURIA CANTABRIGIENSI RECITATUM,

A. D. 1800.

AUCTORE J. B. SUMNER,

COLL. REGAL. SCHOL.

44
7 25
217

ODE LATINA,

IN COMITIIS MAXIMIS,

A. D. 1800.

MYSOREI TYRANNI MORS.

QUISQUIS meatum solis ab Indicis
Conjungit oris Hesperia ad juga,
Importuosâ mente raptus,
Dona Dei trutinis fatetur
Pendere ab æquis. India vindicat
Fructus odoros veris, et inscium
Solem rebellanti procellæ
Cedere; nî placidis Tyrannus
Inferret oris sævam hyemem, suâ
Plus parte felix. Ambiguum æthera
Cum sôle tempestas Britannis
Dividit, instabilisque bruma

Offundit ipsis nubila mentibus:
At hìc amatus Rex patriæ et Deo,
Hìc vere libertas serenat
Perpetuo pluviale cœlum.
Hæc tu Britannis unicus invides,
Qui dùm canebat Musa periculi
Secura, devotâ petebas
Cæde tuum patriæque patrem.
Humana vis non tela latentia
Extorquet: ergo nec manus hæsitans,
Nec fronte se prodens Erinnys
Consilium patefecit atrum?
Calletne sic Dementia temporis
Consulta noti? an sic Ratio sibi
Infida, nativam laborat
Præsidio viduare terram?
Nos, ut parentem stringit amantior
Infans, feroci territus advenâ,
Colamus ereptum periclis
Solicitâ pietate Regem.
At orba non sic India principem
Flevit peremtum, cum manibus Fides
Sancita ter puris, ter armis
Prodita fædifragis Tyranni,

Pacti Britanno vindice regias
Concussit arces. Jam videor vagus
Ferri per æquor, jam trementem
Belligeri fremitu tumultûs
Sentire campum, effractaque mænia.
Ubique versans anguicomum caput
Tyrannus, in mortem retorquet
Oppositam populos fugaces;
Crebro renatus vulnere sævior,
Hosti minatur semianimis manu
Languente, præsumitque vitâ
Interitum meliore dignum.
Lustrans ocellis mænia tristibus,
Leone victam tigrida respicit,
Turresque mirantes inultum
Præsidium, et peregrina signa.
Ergo tyrannum pulveris obruit
Plebeia sors? et deperiit simul
Quam regibus credunt inesse
Particula æthereæ figuræ,
Nec post supremum spirat anhelitum?
E cæde corpus non domini memor
Servus redemit, non amicus,
Lætitiæ comes ac dolorum,

In mente vultûs, qualis erat, notam
Servat fidelem:—vix mulier procum
Dignoscit, ingrato sed ipsa
Nequitiæ sociata vinclo.
At si qua consors Andromache tua
Lavisset almis vulnera lacrymis,
Solamen hoc morti, Tyranne,
Afforet, ac requies sepulcro.
Non Caritas cum flagitio manet,
Jugi nec ardet lampade, nî Fides
Illæsa, nî Virtus amori
Assideat comes atque custos.
At o quid ultra poscit aëneum
Certamen? enses, desinite impii
Clamoris: et victor precantûm
Compositâ bibat aure verba.
" Æquumne serâ progenie lui
" Delicta patrum? Tollite, milites,
" Ferrum cruentatum! Britanna eſt,
" Quam gladiis laceratis urbem.
" Esto, tyranni progenies fumus:
" Esto, ter olim rupta fuit fides:—
" Quid patria " (et guttæ ruentes
Ingenuos oculos decebant)

" Exesa quid non ignibus expiat?
" Quid non ~~acerbâ~~ cruentâ morte luit parens?
" Si vester, hinc mæremus, hostis,
" At mihi præsidium paterque.
" Quandoque vultus prodidit abditæ
" Mentis colorem; at non genitor mihi
" Peccata legavit; relinqui
" Servitium satis est ~~iniquum~~ acerbum!
" Regale par, en adsumus obsides
" Pacis; neque emptam sanguine lauream
" Herois in sertis Britanni
" Dedecorant humiles olivæ.

BRITISH MUSEUM